



Disputatio juridica inauguralis de jure dotium

<https://hdl.handle.net/1874/347224>

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
JURE DOTIUM,

Q V A M,
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnisci Rectoris,

D. HERMANNI van HALEN,

S.S. Theologiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii, Verbiq[ue] Divini ibidem in
Ecclesiâ Præconis,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academic[i] consensu, Nobilissimaque
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privilegiis
ritè, & legitimè consequendis.

Erditorum examini subjicit,

AMBROSIUS BOSSCHAERT, ULTRAJECT.

A. D. 10. Jun. hora locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clc Ioc LXXXIX.

*Amplissimo, Gravissimo, Specta-
tissimoque VIR O,*

D.D. AMBROSIO BOSSCHAERT,
Urbis Ultrajectinæ Senatori
dignissimo & nuper ibidem
Scabino, Equæstori Genera-
li reddituum hujus Provinciæ,
nunc vero Ærarii hujus Civi-
tatis Thesaurario fidelissimo,
Parenti meo quo ad vivam
venerando & omni amore
obſervando.

*Hanc Disputationem Juridicam.
Inauguralem.*

Dico, dedico & inscribo.

AMBROSIUS BOSSCHAERT.

Auct. & Resp.



DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS,

D E

JURE DOTIUM.

T H E S I S I.



Uptias extra dotalia documenta
ex solo affectu valere & ratas es-
se, testatur Imperator noster in
Nov. 74. cap. 4. Verum cum
onera matrimonii, quæ sunt
prope infinita, semper à parte
mariti sustineri nequeant, non
sine fructu nec frustra juris Com-
pilatores huic oneri remedium aliquod constituerunt,
nempe ipsam dotem à parte mulieris; sic enim in-
quit Paulus in *I. 2. ff. de jur. dot. Rei publicæ in-*
tereat mulieres dotes salvas habere, propter quas
nubere possunt. Quibus consonant verba Pomponii.
I. 1. ff. solut. matrim. dicens: nam & pnblice inter-
est, dotes mulieribus conservari, cum dotatas
esse fæminas ad sobolem procreandam, replendam-

A 2

que

4 DISPUTATIO JURIDICA

que liberis civitatem, maxime sit necessarium.
Quæ cum ita se habeant, pro temporis ratione bre-
viter ac succincte materiam de Jure Dotum expli-
candam nobis in animum induximus.

I I.

Dotis verbum homonymum est, aliquando enim causam seu titulum transferendi dominii significat. §. 40. *inst. de Rer. Div.* quandoque ipsam pecuniam vel aliam rem dotalē. l. 40. & seq. ff. *solut. matrim.* aliquando etiam jus circa res dotales; in quo sensu definitur dos jus in re, marito à muliere, vel ab alio pro ea constitutum, ad sustinenda matrimonii onera. l. 71. ff. *de jur. dot.* Dos enim nulla est, nisi matrimonii oneribus deserviat. Et Dos constituitur eum in finem, qui non est sine matrimonio. l. 3. ff. *b.t.* Constituitur autem Dos vel interveniente stipulatione, vel simplici conventione, ita ut non requiratur stipulatio, quo casu, si promissa sit, æque actionem nuptiis contractis parit, atque si stipulationis præsidio suffulta esset. l. 6. C. *de dot. promiss.* idque tum propter favorem dotis, tum quia promissioni dotis subest causa, scilicet ipsæ, nuptiæ, quarum gratia pactum fit, adeoque non tam nudum quidem, quam legitimum pactum est. l. 6. ff. *de pact.*

I I I.

Quod si dos indefinite promissa sit, non adjecta quantitate, dotis promissio subsistit, siquidem quantitas.

titas in arbitrium alterius sit relata. *L. 3. C. h. t.* ac arbitrabitur is dotem, & pro modo facultatum promissoris, & mariti dignitate eam constituet. *L. 69.* *§. 4. ff. de jur. dot.* Illud autem controvertitur, an subsistat dotis promissio, si sine collatione in arbitrium alterius, simpliciter promittatur, propter duas contrarias & inter se fere pugnantes leges, unam Papiniani in *L. 69.* *§. 4. ff. de jur. dot.* & alteram Imperatoris Alexandri in *L. 1. C. de dot. promiss.* quarum illa asserit dotis stipulationem valere, non demonstrata re vel quantitate, haec contrarium docet, & quamvis variæ ab interpretibus adducantur conciliations, nodus tamen hic cum Francisco Duarenio *lib. 1. disp. a univers. cap. 56.* tali modo solvendus est. Aut enim a patre promissa est dos, & hoc casu secundum Papinianum dotis promissio valida est, eo quod Patris officium sit dotare filiam, & promittendo dotem videtur promittere pro modo facultatum suarum & dignitate mariti. Aut ipsa uxor promisit sine certa quantitate, & tunc nulla est neque propter incertitudinem peti potest. *d. l. 1. C. de dot. promiss.* idemque, si extraneus promittat, dicendum, cum eadem sit ratio, nisi tamen sub arbitrii mentione promiserit, ut paulo ante dictum.

I V.

Varie & diversimode ab Interpretibus dividitur dos, in veram, quæ vero accedit matrimonio, & putativam, quæ accedit matrimonio illegitimo; verum haec distinctione non admittitur propter *L. 3. ff. h. t.* in qua dotis appellatio non refertur ad ea ma-

6 DISPUTATIO JURIDICA

trimonia, quæ consistere non possunt: neque enim
Dos sine matrimonio esse potest. Frequens autem
ac legibus conveniens divisio dotis est, quod sit vel
profectitia vel adventitia. Profectitia, quæ à patre
vel parente virilis sexus de bonis vel ejus facto pro-
ficiuntur. l. 5. pr. & §. 11. ff. b. t. Adventitia, quæ
à quovis alio, vel ex ipsis mulieris bonis data est.
l. 5. §. 5. eod. l. unic. §. 13. C. de rei uxori. act. præ-
terea alia est necessaria, alia voluntaria. Necessa-
ria est, quam lex imperat. Voluntaria, quæ ultro
datur. Ex qua postrema divisione liquet, non
omnes uno eodemque jure constituere dotem, qui-
dam enim ex officio, quidam ex libera voluntate
dotem dant.

V.

Ex officio & invitus dotem dare filiæ tenetur pa-
ter l. ult. C. de dot. promiss. ubi dicitur paternum
esse officium, dotem pro sua dare progenie. Imo si
nolit, per magistratus ad id compelli potest l. 19. ff.
derit. nupt. non tamen major debet esse liberalitas
in danda dote, quam facultas, quoniam hoc dolo-
se est agere & contra officium probi & honesti viri.
Quare etiam valde peccant parentes illi, qui in
tractatu nuptiarum aureos promittunt montes, nu-
ptiis vero fecutis parum vel nihil præstant: unde
talia matrimonia sæpe sunt infirma ac perpetuis
jurgiis plena iuxta illud Juv. Satyr. 6.

*Semper habet lites, alternaque jurgia lectus,
In quo nuptia jacet, minimum dormitur in illo,
Tunc gravis illa viro. ——*

Debet

INAUGURALIS. 7

Debet ergo in pactis dotalibus nemo malitiose fraudari, sed præstandum quod inter contrahentes actum est. *l. 1. ff. de pact.* Per filiam autem intelligo justam, naturalem enim dotare non tenetur, cum respectu filiæ naturalis non consideretur ut pater, pater enim est quem legitimæ nuptiæ demonstrant idemque demonstratur ex *l. 41. §. 11. ff. de legat. 3.*
¶ per l. 8. C. de nat. liber. de emancipata porro queritur an dotari debeat? & primo quidem intuitu negari posset, tum quod cessa patia potestas, tum propter aliquot leges contrarias; verum hanc etiam dotandam esse colligitur ex *l. 8. ff. de cap. minut.* ubi dotes ad jus gentium pertinere dicuntur, jam vero jure illo non admittitur differentia potestatis,
¶ per l. ult C. de dot. promiss. Quod autem dictum est de patre, idem procedit in avo paterno & reliquis ascendentibus, quippe officium avi dotandi neptes ex officio patris erga filium pendet. *l. 6. ff. de collation.*

V. If

Ex libero arbitrio & non nisi volens constituit dotem mater, quæ tantum in subsidium dotare teneatur, si nempe id suadet magna & probabilis legibus expressa causa *l. 14. C. b. t.* qualis est, si pater vel avus laborent inopia, mater vero sit locuples, vel si filia sit orthodoxa, mater heretica. *l. 19. C. de heret.* Verum cum moribus nostris sit communio bonorum inter conjuges, dicendum videtur, tam maternum quam paternum officium esse, filiam dotare.

8 DISPUTATIO JURIDICA

tare. Frater etiam , si sororem germanam aut consanguineam dotet , quæ alias nubere non posset , honestè & ex liberalitate facit , *arg. l. 12. §. 3. ff. de administ. & peric. tut.*

V I I.

Objectum dotis porro sunt res omnes tam corporales quam incorporeles , ut hæreditas . *l. 13. §. 10. ff. de hæred. petit. ususfructus* , quo constituto non fructus sed ipsum jus utendi fruendi in dote est *l. 7. §. 2. ff. b. t.* Creditum , quo casu maritus debitor , cui in dotem creditum est constitutum , liberatur ab usuris , ad quas tenebatur *l. 77. ff. b. t.* & recte , cum alias nullum fructum ex hac dote perciperet . Tam æstimatae quam inæstimatae , inter quas tamen hoc interest , quod illæ quasi venduntur marito , & efficiatur dominus , nec soluto matrimonio in specie , sed ejus nomine prætium rerum æstimatarum restituit , nisi aliter convenerit *l. 10. l. 21. ff. b. t.* & quoniam secundum naturam est , eum debere sentire incomoda , qui sentit lucrum , ideo omne damnum in rebus æstimatis stante matrimonio etiam pertinet ad maritum *d. l. 10.* in rebus autem inæstimatis periculum non est mariti sed uxorius , ideoque soluto matrimonio interitu rei liberatur , nec , si res ab alio evicta est , tenetur reddere , sed ejus nomine maritus agere potest contra mulierem secundum distinctionem *l. 1. C. b. t.* cum etiam quantitas constituendæ dotis non sit lege definita , ideo mulier omnia sua bona in dotem dare potest *l. 72. ff. b. t. l.*

4. C.

4. C. eod. Aliquando tamen se ipsam marito committebat, eique concedebat administrationem suorum bonorum, quæ extra causam dotis habet, tradendo marito instrumenta, chirographa, cautions & alia admunicula, quibus poslit actiones uxorio nomine exercere apud competentes judices l. ult. C. b. t. quæ inde paraphernalia vocantur à Græco ἀρχαῖ, quod est præter, & Φέγυν Dos. Quandoque etiam mulier in Dote danda bona quædam pleno jure sibi retinet ac viri potestati non committit, quæ inde receptitia dicta: recipere enim veteribus idem est quod excipere, sic *Plaut. in Trinum. act. I. sc. 2. vers. 157.*

Posticulum hoc recepit, cum edis vendidit.
id est, retinuit. Plura de hisce videantur apud *Agell. lib. 17. cap. 6.*

VIII.

Quemadmodum autem pacta dant formam ac legem aliis contractibus, ita etiam dationi vel promissioni dotis pacta adjiciuntur; obiter ergo ac in transitu videndum quænam pacta sint licita, quænam non. Licta pacta sunt, quæ non sunt contra bonos mores l. 5. § 6. ff. de pact. dot. nec contra naturam ipsius dotis l. 4. pr. eod. valet ergo pactum, ut uxore defuncta dos penes maritum maneat, etiam si liberi non interveniant l. 12. ff. eod. si tamen ab extraneo dotem dante, pactum fuerit adjectum, debet hoc incontinenti, non ex intervallo adjici, nisi consentiente muliere. l. 20 §. 1. ff. eod. Pactum

B præ-

10 DISPUTATIO JURIDICA

præterea validum est, ut uxore mortua maritus dōtem retineat propter liberos ex uxore superstites. *l. 26. pr. §. 2. ff. eod.* Itaque eatenus pæcta valent, quatenus respondent legibus: qua ratione illicitum est pactum, quod mulierem superstitem reddit indotatam *l. 3. §. 4. ff. eod.* quale foret, ut præmortuo marito dos penes heredes ejus remaneat *l. 3. C. eod.* item ne fructus dotis cedant marito, hoc casu enim inutilis fieret dos marito, contra substantiam contractus dotis, quæ eum in finem datur, ut maritus onera matrimonii sustineat, nisi tamen simul uxor onera matrimonii in se recipere velit *l. 21. §. 1. ff. de donat. inter vir. & uxor.* Effectus pæctorum est, quod sint servanda, ideoque alter invito altero ab iis decidere non potest, sed uno decedente, alteri competit utilis actio in factum. *l. 26. §. 3. ff. de pact. dot.*

I X.

Hactenus sufficiat de dotis constitutione, dotis porro promissæ & constitutæ effectus est, quod maritus rei dotalis efficiatur dominus *pr. inst. quib. alien. huc. vel non.* non quidem verus sed subtilitate juris propter usumfructum & rei exercitium, uxor enim jure communi & ratione naturali rei dotalis domina est *l. 30. C. b. t.* unde commoda, quæ non ut fructus ex re proveniunt, sed jure dominii accidunt, non pertinent irrevocabiliter ad maritum; quare si thesaurus in fundo dotali fuerit inventus, in fructum non computabitur, sed pars ejus dimidia resti-

restituetur, quasi in alieno inventus. *l. 7. §. 12. ff. solut. matrim.* Quod autem dictum, maritum esse dominum dotis *l. 30. C. de jur. dot.* & per consequens eum habere jus alienandi, fallit in fundo dotali, idque propter *leg. Jul.* latam ab Imperatore Cajo Julio Augusto, quæ eadem est, quæ lata fuit de adulteriis coercendi, uti indicant inscriptiones legum *12. 13. & 14. ff. de fund. dot.* ejus legis multa fuerunt capita, & in quibus unum de fundo dotali. *Paul. lib. 2. sent. tit. 22.* Sententia autem hujus capituli est: *Ne maritus fundum dotalem Italicum alienet invita muliere, ac ne ipsa quidem consentiente obliget.* Dicit maritus: quod plenius interpretandum ita ut etiam extendatur ad sponsum *l. 4. ff. de fund. dot.* Objectum prohibitionis est fundis dotalis Italicus, sive prædium dotale, qua appellatione intelligenda res immobilis, sive Prædium sit Urbanum sive rusticum *l. 13. ff. b. t.* excipitur ergo res mobilis *l. 3. C. b. t.* quam alienare potest, modo tamen solvendo sit maritus. *l. 1. C. de serv. pign. dat. manumis.* Excipiuntur etiam res immobiles, quæ marito æstimatae in dotem datae sunt, quia per æstimationem intelligitur res quasi emisse, & mulieri tantum tenetur ad pretium, ut supra dictum, nisi res æstimata fuerit, in qua mulier sibi servaverit electionem, tunc enim erit locus prohibitioni legis *Julie.* *l. 11. ff. de fund. dot.* Quod autem lex ait de fundo Italico, postea tamen à Justiniano emendatum est, ita ut jure novo etiam ad Provinciales fundos extendatur. *l. unic. §. 15. C. de rei uxori. act.*

X.

Prohibitio hujus legis est, quod maritus non possit alienare. Alienatio est omnis actus, per quem dominum transfertur. *I. i. C. b. t.* sed latius hic ponitur pro omni juris diminutione: unde etiam non potest servitutem fundo dotali imponere, aut debitam adimere *I. 5. & 6. ff. de fund. dot.* nisi tamen sit necessaria alienatio *I. I. ff. eod. I. 2. C. eod.* & nisi sit facta in utilitatem mulieris, puta, si pecunia ex fundi dotalis alienatione redacta, in fundi utilioris emptionem conversa sit. *I. 26. & 27. ff. b. t.* Ait lex; *invita muliere*, jure novo etiam ne ipsa quidem consentiente *pr. inst. quib. alien. lic. vel non.* Tandem lex dicit, *ac ne ipsa quidem consentiente oppignoret*: ratio autem differentiae, cur oppignorationem strictius quam alienationem prohiberet, haec est: quoniam mulier faciliter inducitur ad oppignorandum, quam ad alienandum. Jus novum autem & alienationem & oppignorationem non solum invita sed etiam consentiente muliere prohibet, idque ex eo, ne sexus muliebris fragilitas in perniciem suæ substantiæ converteretur. *d. pr. inst. quis enim est, inquit Imperator, qui non misereatur mulierum. I. 12. C. qui pot. in pugn.*

X I.

Dissolutis porro nuptiis actiones nascuntur tum à parte mulieris, tum à parte viri, tum etiam ab ultra-

utraque parte, quas breviter ac paucis perstringemus. A parte mulieris prodita olim erat actio duplex, scilicet actio rei uxoriæ & actio ex stipulatu de dote repetenda, verum cum Justinianus hanc substituit actioni rei uxoriæ §. 29. *inst. de act.* examinanda erit actio ex stipulatu, ubi in transitu notandum, quod, etiam si nulla stipulatio intercesserit intelligatur tamen intercessisse ac valida esse. *I.un. pr. C. de rei uxor act.* Actio ex stipulatu de dote repetenda est actio personalis, bonæfidei, quæ soluto matrimonio datur uxori aut ejus parenti, adversus maritum, & ejus heredes, ut dos integra & salva restituatur. *Personalis*, quoniam oritur ex obligatione, quæ est ex stipulatu. *Bonæfidei*, etsi enim actio ex stipulatu alias sit stricti juris, hoc tamen casu, actio exstipulatu de dote est bonæfidei, utpote in locum actionis bonæfidei, puta rei uxoriæ substitutam. § 29. *inst. de act.* hæc autem favore dotis inter bonæfidei judicia referebatur. *d. l. I. C. de rei uxor. act.* *Soluto matrimonio*, non constante, nisi maritus ad inopiam vergat. *l. 29. C. b. t.* & *Nov. 97. Cap. 6.* cuius ratio est in *l. I. pr. solut. matrim.* ne scilicet dos sua mulieri periat. *Datur uxori ejusqui parenti*, imo ea mortua ejus heredibus *l. I. §. 6. C. de rei uxor. act.* datur etiam patri uxoris scilicet profectitia, si modo filia sit mortua *l. 10. pr. ff. solut. matrim.* vel adhuc in potestate constituta, nam si ipsa filia vivat, & aut emancipatione, aut morte patris sui juris facta sit, ipsa dotem repetit. *d. l. un. §. 14. C. eod.* Convenitur hac actione 1. maritus. *l. 22. ff. 12. ff. solut. matrim.* 2. Pater

14 DISPUTATIO JURIDICA

mariti, ut *d.l. 22.* 3. Heres mariti *l. 44. §. 1. & l. 46. ff. eod.* item fiscus *l. 31. pr. ff. eod.* Finis ejus actionis eo tendit ut dos salva & integra restituatur, & quidem olim Annua, bima, trima die, id est, tribus pensionibus erat restituenda. Hodie tamen immobilia statim reddenda, quoniam illorum prompta est restitutio: Mobilia autem intra annum, quia cum alienari possunt, restitutio eorum posset esse difficilis, quapropter tempus indulgetur *l. un. §. 7. C.*

X I I.

Quod autem dixi, maritum hac actione conveniri, non intelligendum, quod in solidum teneatur, verum habet privilegium competentiæ quod est beneficium certis quibusdam personis concessum, ne ipsis ob debita omnia bona auferantur, sed ad alimenta sufficiens portio relinquatur *l. 173. pr. de R. f.* exceptio tamen est, si maritus dolo malo suam substantiam diminuerit ea mente, ne esset solvendo mulieri *d.l. §. 7.* non etiam tribuitur hoc beneficium heredi mariti, quoniam personale est *l. 13. ff. b. t.* nisi sint sui heredes *l. 18. ff. eod.* ex equitate tamen etiam applicatur ad ficerum, quem nurus ad dotis restitutionem non urgebit ultra, quam facere potest *l. 15. §. 2. ff. solut. matrim.* plures casus in quibus hoc privilegium cessat, recenset Zoefius ad *tit. ff. solut. matrim.* quo brevitatis studio me remitto. Verum ut Imperator noster plenius adhuc dotibus subveniret, conjunxit huic actioni

actioni etiam jus tacitæ hypothecæ d. l. un. §. 1. quod mulier habet in bonis mariti ad dotem conservandam d. l. un. §. 1. ita tamen, ut nullam habeat licentiam eas res alienandi vivente marito, & matrimonio inter eos constituto; sed fructibus earum ad sustentationem tam sui quam mariti, filiorumque si quos habet, abutatnr. l. 29. C. b. t. Habet & mulier hoc privilegium ut in concursu cum aliis mariti creditoribus præferatur, sive expressam sive tacitam hypothecam habentibus l. 12. §. 1. C. qui pot in pign. excepto solo, qui creditit in militiam constante matrimonio emtam Nov. 97. Cap. 3 & 4. quid præterea in hac actione constitutum sit, videatur apud Perez in tit. Cod. de rei uxori. act. Ces sat tamen quandoque dotis repetitio, puta, si parœta de lucranda dote fuerit appositum. Si culpa dissolutum sit matrimonium l. 8. §. 4. C. de repud. item si res perierit sine dolo & culpa mariti. l. 49. ff. solut. matrim.

X I I I.

Hæc dicta sufficient de actione, quæ nascitur à parte mulieris, à parte mariti olim retentio dotis propter impensas erat licita, quam tamen hodie Imperator cessare voluit. l. un. §. 5. C. de rei uxori. act. cum marito alia actio salva sit. Impensa autem aliæ ad præsentis anni fructum, aliæ ad perpetuam rei dotalis utilitatem pertinent l. 3. §. 1. ff. de impens. in res dot. fact. illæ cum fructibus compensandæ. d. l. 3. §. 1. circa has autem, quæ fiunt ad conserva-

16 DISPUTATIO JURIDICA

servationem perpetuam , maxime interest , an sint necessariæ , utiles an Voluptuariæ *l. 1. ff. eod.* nam necessariæ ipso jure minuant dotem , quod sic accipiendum , ut non ipsa corpora diminuantur , sed quod pecunia impensa faciat desinere esse fundum dotalem pro indiviso . *l. 5. pr. ff. eod.* non autem , ideo fundus est mariti , sed tamdiu detinet donec ipsi satisfiat , *d. l. 5. pr. C. 37. inst. de act.* si vero dos restituta sit absque detractione impensarum , ex æquitate datur ipsi condic̄io . *l. 5. §. 2. eod.* Ob utiles impensas jure Codicis , etiam non conceditur marito retentio , idque favore dotis , ne illâ diutius carere cogatur . *l. un. §. 5. C. de rei uxore act.* datur tamen vel actio mandati si volente uxore factæ , aut si ignorantे , actio negotiorum gestorum *d. l. un. §. 5.* Voluptuariæ si factæ fuerint nec deduci neque retineri possunt , licet consentiente muliere factæ sint . *l. 11. ff. de impens. in rem dot. fact.* permittitur tamen ipsi , ut possint tolli sine rei detimento *l. 9. eod.* quod si tamen uxor maritum tollentem pati recusat , vel eas habere velit , refundere æstimationem debet , alias exactionem patitur *d. l. 9.*

X I V.

Tandem etiam ob res amotas licita erat retentio dotis . *d. l. un. §. 5.* verum jure novo ab utraque parte prodita est actio rerum amotarium *l. 2. C. rer. amot.* quæ est actio personalis , reipercitoria , competens soluto matrimonio conjugi adversus conjugem , ut res divortii causa , constante matrimonio ablatae

ablatæ restituantur. *Personalis*, quoniam oritur ex delicto, quare etiam condicō vocatur. *l. 18. § 26. ff. eod.* *Rei persecutoria l. 21. §. 5. ff. eod.* unde etiam datur heredibus ejus, cuius res amotæ sunt *l. 6. §. 3. ff. eod.* datur etiam contra hæredes quatenus ad eos pervenit. *l. 3. C. eod.* *Soluto matrimonio*, nam si in matrimonio res amota sit, locum non habet hæc actio sed condicō sine causa. *l. 25. ff. eod.* vel actio de damno infactum *l. 2. C. eod.* *Conjugi adversus conjugem*, non ergo qui abstulit, convenitur actione furti propter honorem matrimonii, in cuius favorem turpis seu famosa actio dengatur. *l. 1. § 2. ff. de act. rer. amot.* nihil autem referit an conjuges per se an per alios amoverint. *l. 19. § 20. ff. eod.* Concubina tamen hoc jure non gaudet, sed tenetur furti. *l. 17. ff. eod.* Finis est ut res amotæ restituantur. Amotæ res dicuntur celatæ, absconditæ, aut dolo malo consumptæ. *l. 3. §. 3. l. 17. § 1. ff. eod.* Quod si res amotæ perierint, pretium earum, quanti illæ valuerunt eo tempore, quo amotæ sunt, restituendum. *l. 29. ff. eod.* etiam ad id quod interest. *l. 21. § 4. ff. eod.* non ergo hīc locum habet beneficium competentiæ, quoniam est delictum. *l. 21. § ult. ff. eod.* quod si istud tandem, qui amovit, non reddat, æstimari debet, quanti in item juratum fuerit. *l. 8. §. 1. eod.*

I N H O N O R E M

Doctissimi ac Præstantissimi Viri Juvenis

D. A M B R O S I I
B O S S C H A E R T,

*cum in Academia Ultrajectina Juris
Utriusque Doctoꝝ summa cum laude
crearetur.*



Iste pedes studiosa Cohors! venit
ipſe Minervæ
Natus, & Herculea sustinet ar-
ma manu;
Palladii invicto conſcendit limina vultu,
Eloquioque ſuō vox resonare docet
Atria, dum tractat dotalia jura, nec ipſe
Solvendo nodos obſtupet attonitus.
Perge Triumphantor generoſo pectore, ſic &
Lucescet nitidum nomen in æva tuum.

*Affini ſuo officii & amoris
ergo poſuit*

W. v. P O E L W Y C K.
J C t u s.